(13

IN FESTUM NOMINIS
JESU

CARMEN.

Hic est vere Salvator mundi.
Joan. IV, 42.

Quid genus humanum divino lumine cassum,
Et nova sic praeceps scelerum per monstra volutum,
Exitio eruerit, donis cumularit honestis;
Quid tot regna prius falsorum condita Divûm
Auspiciis, magnis ad caelum evecta triumphis,
Finxerit ad normam recti; quid protinus ipsum
Ingenium moresque hominum mutaverit una,
Quos toto impietas passim corruperat orbe,
Exequar hinc ego nunc paucis. Tu maxima mundo
Lux, quae vera micas, aeterna ab origine splendes,
Quae, quotquot veniunt homines in luminis auras,
Illustras, monstrasque viam, qua intratur Olympus,
Tuque regas gressus, et tu pia vota secundes.
Quum primum humanae sobolis pater ultimus olim
Est ausus temerare alti praecepta Tonantis,
Uxoris suasu indulgens, traxitque per omnes
Nascendos homines laethi haud mutabile fatum,
Promissus primum terris, qui damna rependens
Crimina deleret, nobisque nocentibus ipsam,
Quam pater abstulerat, vitam concederet ultro.
Scilicet hic Jesus servator erat, quo nomine moti
Caeli narrantur superas agitasse cathedras;
Sidera cuncta simul concordi tacta tremore

Exultasse, sonoque poli convexa replesse.
Hic Jesus, cui dum venturo ferre negarent
Obsequium superi caelestia tecta colentes,
Protinus exturbati obsceni Tartari ad umbras
Postgenitis dederunt mentis documenta superbae.
Hic Jesus miseris dedit et mortalibus almae
Certa posse frui spe vitae; nec secus hortus,
Radice ex ipsa plantis arentibus, omnem
Amittit speciem, et moritur prope; si tamen almis
Decidat imber aquis, herbis plantisque refectis,
Continuo ille capit vitae spem rursus amicae.
Ex illo semper, donec iam tempora cursum
Absolvere suum, non irrita lege Tonantis,
Hebraeae genti vates, ac gentibus ipsis
Externis, Jesum vel praedixere futurum,
Vel iam praesentem signis umbrisque dedere.
Perdita namque hominum quum esset servanda propago,
Spem Servatoris quaeque umbra salutis alebat,
Et Jesum quaeque umbra dabat sic cernere terris.
Sed postquam tandem optatus se protulit orbi,
Omnia nascenti arrident elementa, suoque
Admonitu Jesum ad natum sunt plaudere visa.
Sola tamen vesana hominum mens, nescia facti,
Alto torpebat scelerum compressa veterno.
Proh dolor! Ille hominum venit depellere mortem
Illum homines nescire audent, aut spernere notum!
Non tamen illa homines servandi immensa cupido
Destitit incoepto, aut aliqua se parte remisit.
Quo magis ingrati ipsi homines, magis illa fovetur;

Et Jesus certat dum figere signa salutis,
Illi certatim figunt sua signa ruinae.
Magna peracta salus tamen est, et nomen in omnes
Effusum Jesu; quo extemplo rite vocato
Mors fugit, et morbi comites, regnator Averni
Pronus humi gemino curvato poplite adorat.
Illud non rabies sollersque potentia regum
Perdere vel potuit, partosve avertere honores.
Quin, quanto maiori excanduit ira tumultu,
Hoc tanto magis imperium se extendit Jësu.
Templa Deûm sic eruta, quae olim caeca vetustas
Tartariis ducibus struxit sub nomine Divûm.
Foeda superstitio quoque sic procul undique pulsa,
Atque per immensum Jesu iam nomen in orbem
Panditur, eoo quo sol se littore prodit,
Et quo se condit, terras sine luce relinquens.
Et si mens hominum minus impia, cuncta fuissent
Terrarum Jesu divino nomine plena!
Non tamen idcirco capiet iam damna; sed idem
Nomine de spreto quondam ulciscetur iniquos,
Et sibi subiectos pedibus tunc proteret hostes.
Felices olim, queis Jesu nomina cordi,
Et quibus ex illis sunt munera parta salutis!
Regnabunt etiam Jesu regnante, nec ullo
Tempore destitui se parta pace timebunt;
Saeclaque nec poterunt tam longam attingere metam.
Haec utinam eveniant nobis, deturque per aevum,
Æternam Jesu de nomine ferre salutem!

Julius Caponius Sac.

AN. SAL. MDCCCXXXVI.